

nis erant, ut neuter alteri satis fideret; abnuente rege, ex Italia exercitum se reportaturum, ni prius filios in potestatem haberet: Contra Carolus prius copias amovendas fore; deinde filios traditurum se pollicebatur: utrique agebant, obsides apud Anglum servandæ fidei se duros. Verum cum nulla ratio rerum constituendarum iniri posset, omni spe pacis accisa, cuncti foederatorum oratores, Galli nempe, Angli, Veneti, Florentini, ac Mediolanenses Cæsarem, qui tunc in Burgenfi civitate erat, adeunt; abeundi licentiam petunt, bellumque foederatorum nomine Cæsari indicunt; quod cum hilari fronte excepisset, statim Gallos, Venetos, ac Florentinos oratores ad oppidum, quod triginta passuum millia ab ea urbe distat, duci jubet, armatorum militum, & sagittariorum custodia adhibita, omnique vel pertractandorum negotiorum, vel epistolarum conscribendarum facultate adempta: Mediolanensi, utpote qui illi subditus esset, ne suo injussu discederet, injectum est: adversus Anglum nil actum. Istius facti nuntio vulgato, mirifice omnium foederatorum animi commoti sunt, Senatusque statim Franciscum Regem per oratorem hortatus est, ut jam nudatis, ac patefactis Cæsaris conatibus obsisteret, Angloque, ut in id ipsum contenderet, suadere niteretur: cum interea Lautrechius Bononia discedens, per Flaminiam, & Picenum iter in Neapolitanum regnum arripuisset, & iiii. idus februarii ad Truentum amnem, qui Ecclesiæ ditiones a Neapolitano regno determinat, pervenisset, præmissis Venetorum copiis, quarum pars altera Pisano legato, ac Valerio Ursino, altera Petro Pesareo oratori, & Camillo Ursino parebant: hæc ulterius progressæ Civitatulam occuparunt, mox Sulmonem, atque alia in finibus Pelignorum oppida, quæ sponte deditione facta, nostris sese adjungebant, inter quos summam virtutis, ac fortitudinis laudem Andreas Civranus patritio genere ortus tulit. Is quingentorum Epirotarum equitibus Præfectus impigre omnia munera militaria obeundo hostibus summum terrorem incusserat, quocumque se verteret, celeritate, ac robore belli fulmen videbatur; excursionibus adjacentium provinciarum populos adeo terruerat, ut nihil adversus nostros moliri auderent. Totius exercitus copię ad Divi Firmi oppidum lustratæ sunt: in eo triginta ped-

*Oratores  
foederatorum  
abeundi ven-  
tiam a Cæ-  
sare petunt,  
bellumque ei  
indicunt.*

*Oratores  
Galli, Vene-  
ti & Floren-  
tini in cu-  
stodiam tra-  
diti.*

*Lautre-  
chius ad  
amnem  
Truentum.*

*Veneti Ci-  
vitatulam,  
& Sulmonem  
occupant.*

*Andreas Ci-  
vrani Epi-  
rotarum  
equitum præ-  
fecti virtus.*

ditum